Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1897
Quelle:
Copyright:

et f. et ſp. ſ. Amen. Jungitur continuo Oratio ad D. *Apolloniam.* Haec quoque manu Sec. XIV.

DCCXCIII.

R. 525 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 115. 4. minute perſcriptus, multisque vocum compendiis *Sermones* in Feſta Domini, B. V. M. et Sanctorum per anni circulum, ſive Schemata potius *Sermonum* continet, initio capto a die S. *Andreae* in hunc modum: *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus. uiam eius cuſtodiui et non declinaui ex ea. Job. XXIIII°. Tria ſunt neceſſaria cuilibet uiro perfecto. Primum quod chriſtum ſequatur per bonam uitam. Secundum quod ipſam cuſtodiat per finalem perſeueranciam. Tertium quod ab ea nunquam declinet per aliquam culpam. Iſta tria beatus andreas ſe feciſſe gloriatur* &c. *Fol.* 44. pro die Paraſceves ita orditur Noſter: *Annunciate inter gentes ſtudia eius. Pſ. 9. Verba prophete alloquentis predicatores ut adnuncient populis opera ſtudioſa que hodie repreſentat eccleſia. Primum quod campane non pulſantur ex eo, quod omnes campane hodie ſiluerunt. Chriſtus enim habuit XII. apoſtolos quaſi XII. campanas. ſed una illarum ſcilicet iudas fracta fuit, quia ſuſpenſus crepuit medius. alia fuit groſſa ſcilicet petrus, que ſemel tam altum ſonum dedit, quod ſuper angelos auditum fuit, quando dixit Math. XVI. Tu es chriſtus filius dei &c. ſed hodie ſonum perdidit, quia chriſtum confiteri auſus non fuit* &c. Ita et *Mariam* et *Chriſtum* campanas facit, huncque in crucem tanquam in campanile tollit. *Fol.* 111. p. 2. comminiſcitur *Virgilium* circa finem vite ſue 4 verſus feciſſe dolentem, ſe in tribus Operibus incaſſum laboraſſe, et en illos:

Paſtor, arator, eques paui, ſeui, ſuperavi
Capras, rura, hoſtes, queque labore graui.
De capris paſtis, de rure ſato, hoſte ſubacto
Nec lac, nec ſegetes, nec ſpolia uila tuli.

Additur hiulcis et mendoſiſſimis verſibus ad calcem Hiſtoria *Denariorum*, quibus venditus eſt Chriſtus, quique ab *Aſſyriorum* Rege *Nino* cuſi per varios caſus tandem in agrum partim Figuli, partim in mercedem Militum ſepulcri cuſtodum ceſſere.

DCCXCIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 96. 8. commode perſcriptus, minio diſtinctus, in Theca anteriore ita praenotatur: *Hunc libellum teſtatus eſt Monaſterio ſancte dorothee wienne dominus Erhardus grütſch de marichekg Confeſſor ad ſanctum Jacobum*, nempe Canonicarum Regular. R. 3156